



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Pignoribus & Hypothecis. Consilium CCCL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

tribuant scholaribus, seu causæ studij, ius tacitæ hypothecæ in bonis debitoris, *DD. in l. 2. in fine D. Solut. matrim.*

Quod cum ita sit, consequitur Aëtrices non rectè prætere de ius prælationis in comparatione dicti Collegij & scholarium ejusdem; præsupposito etiam quod eadem Aëtrices prætere de possint titulum & privilegium dotis, ut omnimodò prætere de videntur. Nam illa æquiparatio & concursus utriusque privilegiatæ causæ, *Bart. in d. l. 1. nu. 3.* hoc ut minimùm efficere debet, ut non prius mulieri dos, quàm scholari suum creditum ad sustinenda studia destinatum, solvi debeat, *Angel. in d. l. 1. nu. 12.* Ideoque in omnem eventum malè sustinent Aëtrices omnimodam prælationem respectu etiam huius Collegij. * Quamvis interim verius sit, dictas Aëtrices titulum & privilegium dotis non rectè prætere de: neque enim omnis pecunia, quæ ad dotem destinatur, consensu dotalis dicenda est; sed tantum quæ in dotis causam conversa est, vel per contractas nuptias, vel per sponsalia, *l. si sponsalia de iure dotum*; non enim intelligitur dos sine matrimonio aut sponsalibus, *l. 3. eod. tit.* Ita quod pecunia per Martinum Lopez dicto Michaeli Turbant numerata, ad sœnus inde exercendum, & dictas filias, cum nobiles essent, maritandum, pro dotali accipi non possit, nec ei attribui privilegia dotis. † Eoque minus, quod pecunia illa non simpliciter apud Michaeli deposita fuerit, sed data ad usuras: inde enim amittitur privilegium prælationis, quod creditor usuras ex deposita pecunia accipiat, *l. si hominem §. quoties D. Depositi, l. si ventri §. in bonis, & ibi Ripa nu. 4. De privileg. credit.* Neque vero potius aliquid ius constituendum est in Aëtricius, ex eo, quod Michael eorum tutor fuisse dicatur: nam de suscepta & administrata tutelâ nihil constat; sed tantum de decretâ. * Et eo constituto, nihil meliore loco essent Aëtrices; ob id, quod idem Michael testamento fundatoris, dicti Collegij fuerit quoque constitutus Provisor; quod aliud non est, quàm esse ejusdem Collegij tutorem: nam tutela seu curatela non concluditur tantum ad pupillos & minores, sed extenditur ad quoscunque, qui alterius defensione ex sua conditione indigent, *l. Dabimus cum 2. l. seq. De privit. creditor. & ibi Ripa.*

Quibus attentis aliisque per Dominum Advocatum causæ subtiliter adductis, officium spectatissimorum Dominorum Iudicum esse opinamur, ut secundum conclusionem pro parte dicti Collegij propositam, & pro illius prælatione sententiam dicant.

De Pignoribus & Hypothecis.

S V M M A R I U M.

Ius prælationis locatoris contra funeris expensas.

1. Conductor ædium illata bona iure pignoris obligari.
2. Funeraria actio quando sit privilegiata.
3. l. Impensa De religiof. & sumpt. funer explicata.
4. Solvendo potius, quàm insolendo quemque præsumi.
5. Funeraria actio quatenus pateat.

6. 8. Inveſta & illata in prædium urbanum pro pensionem obligantur etiam alio postea translata.

7. Serviana actio differt à Salviano interdicto.

9. Sententia dat non realem sed personalem actionem.

CONSILIUM CCCL.

IN concursu creditorum ad pretium distractæ suppellectilis & bonorum mobilium, quæ ad quondam M. Lavinum Meganck pertinerunt, & ex causa iudicati seu executionis, publicæ hactenq; seu auctiori exposta & distracta fuerunt, primùm ad instantiam Domini Abbatis & Monasterij Parcentis, & deinde ex petitione & consensu aliorum creditorum; potius ius habet creditor ex causa locationis ædium, in qua dictus M. Lavinus conductor eandem suppellectilem & bona mobilia semel invehit, & ejus heredes postea evexerunt & amoverunt: * ob id, quod dictus Dominus Abbas non tantum chirographarius, sed hypothecarius quoque sit creditor ex causâ legalis & taciti pignoris; quod etiam citra expressam conventionem contrahitur, in rebus in conductam domum semel invehitis & illatis, *l. 2. l. Eo iure, l. Licet D. In quib. caus. pign. vel hypot. tacite contrah. l. ult. C. eod. l. C. C. C. De locato & conducto*; & sic ratione pignoris & hypothecæ præferri debeat omnibus chirographariis (hoc est sine pignore & hypothecâ, *l. 1. C. Etiam ob chirog. pecuniam pignus teneri*) creditoribus, *l. si fundum l. Qui pignus C. Qui pot. in pig. Gloss. l. Quod quis De privit. credit.* etiam si causa debiti, quam illi prætexunt, sit anterior, *l. Interdum Qui potior. in pig. hab. & alicui etiam privilegiata*, quia potius ubique est ius reale iure personali, *l. Eos C. Qui pot. in pign. etiam privati hominis adversus fiscum, d. d. l. si fundum, d. l. Qui pignus.* Proinde quod ad prælationem obtinendam pro parte Venerabilis Domini Ioannis ab Egmont ejusque consortium ex funeraria actione, ob debita & non soluta jura funeralia dicti M. Lavini, & ejus uxoris proponitur, non potest hanc dicti Domini Abbatis prælationem seu potius prioritatem infringere.

Est enim, ex iuris communis dispositione, funeraria actio seu causa, sit usque adeo privilegiata, ut præcedat omne æs alienum, quod de iunctus debitor relinquit, *l. Impensa 45. De religiof. & sumpt. funer. Gloss. in l. Asidius in V. Habeant C. Qui pot. in pig. l. ult. §. in computatione & ibi gloss. in V. in funus C. De iure de lib. Alciac. conf. 615. Præsens questio nra, ac præferatur etiam ei, qui tacitum, non etiam expressum seu conventum pignus obligationi coniunctum habet, *Gloss. in d. l. Impensa, ant. Negusantius in tract. de pignor. & hypoth. par. 5. par. princip. nu. 28. Franc. Ripa in l. Privilegia De privit. credit. nu. 48. & 62.* ideoque inquilino mortuo etiam ex rebus invehitis & illatis defunctum funerandum, & ex eo, quod superfluum manserit, pensionem seu mercedem locatori solvendam esse, expresse ex sententia Pomponij responderit Ulpianus, in *l. si quis §. 1. D. De religiof. & sumpt. funer.* id tamen non obtinet nisi tunc cum inquilinus non solvendo mortuus est: hoc est cum nihil unde funeretur reliquit, præter invecta & illata. † Conditionale enim est dictum Ulpiani responsum, his verbis conceptum: *si inquilinus mortuus est, nec sit unde funeretur.* Cui consonant hæc verba*

verba Martiani Iureconsulti, in d. l. Impensa; Rebuff. ad consil. Regiar. tit. de sent. provi. in prefat. n. 65. pro rei qualitate. Impensa funeris omne creditum solum praestare cum bona solvendo non sunt.

¶ Cum itaque non constet bona M. Lævini solvendo non esse, neque id pro parte horum creditorum allegatum aut probatum sit (ut omnino oportet) quamvis huiusmodi allegatio negativa sit; nam negativa quatenus in ea consistit intentio sive actionis sive exceptionis, non praesumitur sed probari debet ab eo, qui in illa se fundat, l. si vero §. qui pro rei qualitate & ibi glos. in verb. dubitetur D. Qui satisfacere cog. & magis is, qui allegat aliquem solvendo non esse, quam esse; quod in dubio proclivius quisque praesumatur idoneus & solvendo, l. si credentes in fine De privileg. cred. consequens est, ex defectu causae huius praestationis, hoc est quia non constat bona M. Lævini solvendo non esse, cessare effectum praestationis adversus locatorem in inquilini bonis investitis & illatis; quasi deficiente illius conditione, l. si quis fundum in fine De contrah. empt. l. si damnum §. quod pendet de reg. iur. Ita quod non sufficiat funeris causa hoc debitum esse contractum; nisi hoc quoque concurrat, quod bona defuncti solvendo non sint, nec sit, unde alias, quam ex bonis defunctus funeretur. Cum enim copulativè seu coniunctim duo requiruntur, sive affirmativè, sive negativè oratione, requiritur omnium coniunctionum existentia; nec sufficit alterum evenisse seu existerè ad hoc, ut dispositio locum habeat, l. si heredes plures De hered. inst. l. si ita stipulatus fuero decem D. De verb. obligat.

Atque ita in proposito evidentissimum est privilegium praestationis in hoc dubio funeralium admittendum non esse, nullà factà prius excussione aliorum bonorum dicti M. Lævini, nec factà aliquà allegatione notorietatis, quod ejus bona solvendo non sint. Eoque minùs, quod hoc debitum non propriè concernat sepulturam corporis defuncti, sed contractum sit toto quinquennio post sepultos M. Lævini, & ejus uxorem * Funeraria enim privilegiata actio propriè pertinet tantum ad eas impensas, quae antequam corpus sepeliatur factae sunt, d. l. si quis §. funeris De relig. & sumptib. funer. non perinde etiam ad eas, quae post sepultum corpus fiunt; ut sunt exequiae, & alia, quae vel ob honorem defuncti, vel pro ejus anima post sepulturam fiunt; non quod & illas solvi equum non sit, cum id etiam aequissimum sit, etiam ante soluta alia chirographaria debita, Steph. Bertrandus consil. 270. Quoniam nu. 3. vol. 3. parte 2. sed quod huiusmodi debitum alijs debitis, praesertim tacitum pignus habentibus praefereendum perinde non videatur: ut ex sententià Ioannis Imolentis, in clem. Dudum nu. 58. De sepul. de expensis exequiarum septenarij, tricenarij, anniversariarum & similium, quae post sepultum corpus fiunt, aliquoties ex facto consultus respondit Stephanus Bertrandus, consil. 202. Ex thesmate nu. 6. vers. expensa vol. 4. & consil. 429. Viso casu nu. 17. vol. 6. & consil. 214. Vidi casum nu. 2. vol. 7.

Minus sanè favoris meretur hoc horum creditorum debitum, qui se creditores non fecerunt statim à morte horum defunctorum, quod saluti

animarum illorum maxime congruisset; sed post tam longum tempus, & tunc primum, cum praefatus D. Abbas suis laboribus & expensis viâ juridicâ horum bonorum possessionem evicisset & avocasset, illaque publicae venditioni exposuisset, & per venditionem ad paratam pecuniam redegit; tum primum affectantes hoc debitum per tam seram exequiarum aliorumque officiorum Ecclesiasticorum celebrationem: quod quoad damnum & praedictum D. Abbatis, nec equitatem nec rationem habet, l. Quod si minor §. non semper in fine De minorib.

Porro ex confessione pro parte creditorum in hac causâ factâ evidentissimè constat, quod hac servitia seu officia funeralia sint per hos creditores praestita & celebrata, pendente hac lite; quae ex parte aliorum ad hanc causam concurrentium creditorum, instituta & inchoata fuit in mense Octobri anno octuagesimo quarto, cum dictus M. Lævini decem suum obiisset in anno septuagesimo octavo; satis quidem bono zelo ex praetextu laudabilis consuetudinis, ubi illa viget & exorbitans non est, c. Non satis De simonia, c. Abolenda De sepulch. & ibi DD. laud. Steph. Bertrand. consil. 398. pro faciliore vol. 6. sed non proinde tendabiliter tam serò hac sic, per Dominum Abbatem paratâ promptâ pecuniâ si non excitante, saltem commovente. Quae proculdubio etiam causa est, cur pro parte horum creditorum tandem in hac causâ aperte declaratum sit, quod ad evitandas ulteriores expensas in materia praesentiae non intendant ulterius cum dicto D. Abbate contendere de praesentia, sed quod petant sibi solvi de residuo, quod detracto debito dicti D. Abbatis supererit. Et quamvis huiusmodi declarationem hi debitorum restringant in eventum, quo dicta parata pecunia sufficeret pro solutione tam crediti D. Abbatis, quam sui; & quod in eventum, quo utriusque credito sufficiens non erit, persistant in praestatione, non tantum adversus alios concurrentes creditores sed etiam adversus dictum D. Abbatem: in controversia tamen adhuc relinquunt quaestionem praesentiae, & liem super ea producunt, maioribus expensis D. Abbatem gravando pro defensione suae praesentiae, quae secundum praemissa ei omnino debetur; etiam si parata & sic laboribus ac expensis illius confecta pecunia pro exsolvendo tam ipsius, quam dictorum creditorum debito non esset sufficiens. Non enim debebant hi creditores contendere de sufficientia vel insufficientia huius pecuniae, sed de insufficientia bonorum dicti M. Lævini, d. l. si quis §. 1. d. l. Impensa; qui proculdubio plura praesertim mobilia reliquit.

Nam conditionalis illa causa impensarum funeralium privilegiata praestatio non constringitur ad paratam pecuniam, quam inquilinus relinquit, neque ad illius alia bona paratiora, suppellectilem scilicet, & alia bona mobilia, quae ad venditionem magis promptâ & parata sunt, l. à Divo Pio §. in venditione De re iudic. Nicol. Everard. Praes. consil. 167. Visi testamentis; sed generaliter & indeterminatè, si vel cum solvendo non sunt inquilini bona quaecunque. Indefinita enim & indeterminata oratio seu sermo vim & effectum universalis sermonis habet, minus

l. Si plures De leg. 3. In qua contentione praelationis minus probabilis est horum creditorum intentio; ex eo, quod satis constat hanc paratam pecuniam sufficientem & idoneam esse ad solutionem utriusque debiti, tam quod D. Abbas liquidum & iam ad executionem perductum habet, quam quod hi creditores ex cruda nondumque peracta actione prætendunt. Ita quod attentâ hac sufficientiâ parata huius pecuniæ, & potiore iure reali D. Abbatis, & quod quamdiu non constat universa bona M. Lavini solvendo non esse, funeris in pensâ tacitis hypothecis præferri non debeant, *d. §. 1. d. l. impensa*; nullâ ratione debebant hi creditores perleverare adversus D. Abbatem in contentione praelationis, & per illam hanc litem protrahere, & expensis illam onerare.

Quæ dictorum creditorum contentio ob id improbabilius est, quod per huius Oppidi Lovanien-sis consuetudinarias leges, per D. Abbatem allegatas, & pro parte adversa satis confessatas, creditum ex causa locationis & conductionis, præferatur omnibus alijs & nominatim etiâ credito ex causa iurium Ecclesiasticorum (quales sunt hæc impensa, quæ sunt non circa, sed post sepulturam defuncti per Ecclesiasticos) cuius consuetudinis cum non sit irrationabilis potestas, legem vincit, illique derogat, *l. 1. & 2. c. Quæ sit longa consuetudo. l. De quibus cum seq. De legib.* Ita quod in dictam notoriam consuetudinem collimando, hi creditores ab hac praelationis contentione tunc saltem manum retrahere debeant, & D. Abbati suam praelationem ex priore iure reali permittere.

Neque hac in parte dictis creditoribus quicquam patrocinari potest, quod pro illorum parte, & prius etiam pro parte aliorum creditorum occurrentium, asseverantijs allegatum est, quod ex dispositione iuris communis hoc ius tacitæ hypothecæ & praelationis super bonis in conductam domum investitis & illatis, locum non habeat, nisi in illis bonis, quæ tempore exactionis seu petitionis pensionis inveniuntur intra limites conductæ domus, non perinde etiam si inde ante exactionem, aut illorum bonorum inclusionem, amota aut evecta sunt. Nam nulla est lex, nec ulla alicuius interpretantis solida & constans traditio, quæ discrimen aliquod faciat inter amota & evecta bona, si modò semel in domum conductam investita & illata fuerint. * Eo enim ipso, quod semel invehantur seu inferuntur, incidunt (ut inquit Baldus, *in l. Certi iuris quasi. 6. nu. 9. c. de locato*) in obligationem; & perinde invehendo seu inferendo obligantur & tenentur nexu hypothecæ, ac si de eorum nexu expressè conventum esset; & semel delapsa in causam pignoris seu hypothecæ, inde non liberantur, nisi solutione mercedis seu pensionis, *l. Si rem alienam §. omnis De pig. ad l. Quamdiu c. De distract. pignor.* Ideoque quamdiu in ea causa sunt, sive apud debitorem inveniuntur, sive apud quemcumque alium tertium possessorem, actione Serviana eorum possessio advocari, *§. item Serviana Instit. De action. & per creditorem retineri*, ac tandem inquilino non solvente distrahi possunt, *l. Si debitor c. De distr. pignor. Ioan. de Platea in d. §. item Serviana in princ.* Realis enim est, & ideo quemcumque possessorem se-

quitur, Nicol. de Neapol. in d. §. item Serviana vers. item opponere contra creditorem. * In quo differt Serviana actio à Salviano interdico; quod Salvianum directum interdico contra solum conductorem datur: Serviana verò etiam adversus tertium possessorem, ad quem res semel in vecta postea pervenit, *l. 1. c. de prec. & Salviano interdico.* Et hoc est, quod his formalibus verbis docet Baldus, *in d. l. certi iuris quasi. 6. nu. 9.* quod si inquilinus quædam intulit, quæ postea mutato proposito removit; videtur quod non sint obligata, *l. Cum tabernam De pignor.* sed cum semel ceciderint in obligationem, contrarium puto, *argum. l. Virum vers. unde saltem De const. pec.* Quam Baldi traditionem aperte comprobant & sequuntur Angelus, in d. §. item Serviana nu. 1. Iason, in d. §. item Serviana nu. 66. & alij, Nicol. de Neap. Ioan. de Plat. Myns. & alij in d. §. item Serviana: qui omnes ex aperta iuris dispositione, in d. l. 1. in fine c. de prec. & Salviano interdico, tradunt hanc actionem quemcumque possessorem sequi.

Nec huic doctrinæ refragatur, quod Vdal-ricus Zasius docet, in d. §. item Serviana nu. 17. investita & illata, antequam per locatorem propter defectum solutionis pensionis describantur, & sic præcludantur, seu, ut nunc dicimus, arctentur, alienari posse: nam id huic persequutioni non obstat, nec ius locatoris in hoc tacito pignore imminuit; sed ad sustinendam alienationem dumtaxat pertinet: ut non dicatur nulla, ut verè nulla est, si alienatio fiat post inclusionem, ex qua locator constituitur in possessione vectorum & illatorum, quasi in fraudem creditoris facta alienatione, *l. Quod autem §. sciendum Quæ in fraud. cred.* Alioqui enim iure sustineri non posset hæc Zasij traditio, propter expressa legis verba, in d. l. Licet in quibus caus. pig. tac. contrah. quæ perinde volunt investita & illata pignori obliari, atque ea, de quibus pignori obligandis expressè & specialiter convenit. Quamvis favore libertatis proclivior sit illius occasio per manumissionem & libertatis dationem, alienandi servum in domum conductam inductum; ut plerique omnes accipiunt Pauli Iureconsulti responsum, in l. Est deferentia Ex quib. caus. pig. vel hypoth. ex quo Zasius hanc suam doctrinam desumit: sic ut ex speciali, qui ius singulare habet, casu extensio fieri non possit, *l. In his cum l. seq. de legib.* Et sanè si aliter accipiat Zasius, subsistere non posset, qui eodem loco paulò ante, in d. §. item Serviana nu. 6. & 10 tradidit, Servianam actionem de rebus non tantum coloni, sed etiam inquilini dari adversus tertium quemcumque, apud quem res semel investita reperitur: cuius nullus omnino esset usus, si ante inclusionem alienata illi non subijcerentur. Atque ita etiam nuper eleganter respondit Petrus Antonius Anguifola, *conf. §. 8. vol. 8. Bald. in d. l. Certi iuris c. Locati.* Proinde consideratio & allegatio translatorum horum bonorum ex domo conductæ, & quod illa tempore arresti & distractionis ex parte Abbatis factæ, non sint in conductâ domo, sed extra illam inventa, nihil in proposito ad commodum aliorum creditorum facit. Et quidem eo minus, quod non apud tertium possessorem aliquem inventa fuerint; sed in domo mortua-

mortuaria filie ac heredis M. Lævini, ut propter representationem & identitatem, quam heredes ex persona defuncti facit, in *Auth. de iurcur. & mortuor. prest. &c.* haberi debeant quasi apud conductorem reperta.

Adversus quæ nihil urget, quod ulterius ex adverso proponitur, statuto Lovaniensi jus prælationis non tribui locatori ad bona inquilini extra domum conductam reperta: nam de tali aliquo statuto per partem adversam nihil probatum est. Verum quidem est, jus prælationis, quod ex eisdem statutis locator habet ad bona conductoris, non esse tam potens in bonis, quæ non reperiuntur in conducto fundo seu domo: nam in illis nihil dicitur de bonis conductoris semel in conductam domum illatis, & postea avectis, & aliò translatis; sed potius de bonis numquam in illam in vectis vel illatis; in quibus ex dictis statutis jus taciti pignoris etiam competere videtur, ultra communem juris dispositionem, ex qua non nisi invecta & illata, non etiam alia inquilini seu coloni bona tacite obligantur, *d. l. C. de iuris. ut mirum non sit, si quoad jus prælationis, in illis minus ei tribuatur.* Et quod illa sit istius statuti vera ac necessaria interpretatio & intellectus, convincitur ex alia dicti Oppidi Lovaniensis ordinatione, pro parte D. Abbatis exhibitâ; & per partem adversam confessâ; per quam diserte & aperte caveretur, quod pro solutione mercedis seu pensionis conductarum ædium, locatori permittatur pignitio seu persequutio bonorum mobilium conductoris, etiamsi illa ex conductâ domo translata sint; non aliter quàm si in conductâ domo essent. Quæ ordinatio omnem scrupulum & ansam constituendi aliquid discrimen inter amota, & in domo conductâ reperta, omnino præcinit, nec aliam interpretationem permittit etiâ ex iure communi; cui si contraria esset (prout non est) dicta ordinatio in omnem eventum derogaret: ut nihil dubitandum sit, quin omnibus modis hac in parte D. Abbas dictis creditoribus etiam ex causa funeraria præferri debeat.

Cui etiam hoc non recte obijcitur, cum comminatione suo tempore instructivè deducendâ; quod D. Abbas in tempore usus non sit suo prælationis privilegio: cum actio Serviana, quæ hac in parte D. Abbati competit, sit perpetua; & inter præsentis 10. inter absentes 20. annis per titularum possessorem, & 30. annis per possessorem sine titulo illi præscribatur, *l. 1. & 2. C. si advers. credit. l. Cum notissimi in princ. & §. 1. De præscrip. 30. vel 40. annor.* Cum alioqui minor sit probabilitas contra D. Abbatem, si diutius distulerit prosecutionem juris sui; quàm adversus hos creditores ex causa funeraria, qui in mora celebrandi hæc Ecclesiastica officia per totum sæc. sexennium fuerant; eum si ne reprehensione non possint differri, quæcumque pro salute & refrigerio animæ defuncti fieri quoquo modo debent.

Sic assertâ D. Abbatis prælatione adversus hos creditores ex causa funerariâ, supersunt M. Conradus Sylvius, & Leonardus Oliverius; qui pro prælatione hanc litem adversus Dominum Abbatem instituerunt. sed minus pro confirmanda Domini Abbatis prælatione adversus hos labo-

randum est: ob id, quod Magister Conradus visa allegationibus Domini Abbatis, tandem aperte declaraverit, quod se ulterius non velit opponere contra eundem Dominum Abbatem, ex cuius parte huiusmodi declaratio acceptata est. Ita quod quoad eundem M. Conradum nulla amplius sit questio, nisi de expensis litis; in quas illum quatenus aliqua factæ sunt usque ad diem huiusmodi declarationis, condemnari necesse est; propter temerariam illius ad hanc litem provocationem, & in ea longiorem perseverantiam, *l. Eam quem temere D. De iudicij.* Leonardus Oliverius usque ad finem litis in contentione prælationis persistit; & quidem aliqua ex parte ex ipsam causis, ex quibus creditores funerarij; præsertim ex eo, quod jus taciti pignoris, ut putat, Domino Abbati non competat, in & ad bona mobilia ex conductâ domo amota, & tempore arresti in eadē domo non reperta. Quæ altercatio per superius deducta satis decisa & resoluta est.

Ultra quæ hoc quoque pro removenda Domini Abbatis prælatione; & subvertenda illius executione, dictorumque bonorum mobilium distractione, in medium adducit; quod ea omnia ex competentia jurisdictionis Magistratus Oppidi Lovaniensis, quorum auctoritate dicta bona ad instantiam Domini Abbatis sunt arrestata, & tandem ad distractionem decreta & distracta, sint nullas ex eo quod proponat M. Lævini, ejusque bona & domum mortuariam, jurisdictioni dicti Magistratus non fuisse subiecta; propter dicti M. Lævini scholaritatem, & notoriam scholarium tam ex iure communi, *Authen. Habita C. Ne filius pro patre*, quàm ex notorijs Universitatis Lovaniensis privilegijs exemptionem. Sed hæc obiectio facili negotio ex parte Domini Abbatis est remota, per evidentem allegationem, & probationem, quod idem M. Lævini diu ante suam mortem per propriam renuntiationem (prout illam facere potuit, *l. penult. C. de pactis*), deliberatè esse dictæ Universitatis suppositum, sed ex illo tempore semper fuerit immediatè subiectus jurisdictioni dicti Magistratus.

Quare omisâ prosecutione huiusmodi allegationis, persistit in aliâ; quod scilicet creditum, quod in hac causa petit, sit ei per sententiam Magistrifici Domini Rectoris adjudicatum in anno 1573. Sed indenò potest aliquid jus prælationis prætextu adversus Dominum Abbatem, cui jus tacite hypothecæ in invectis & illatis bonis M. Lævini, quamvis tempore exactionis inde amotis, acquisitum fuit pluribus annis antè, hoc est ab anno sexagesimo primo, quo M. Lævini, ut inquilinus in hanc conductam domum commigravit, & in ea habitationem suam usque ad annum septuagesimum octavum continuavit. Ita ut si ex ratione temporis jus Domini Abbatis, & Oliverij meriti oportere, D. Abbas tempore longè esset prior; & sic quoque in iure saltem taciti pignoris, unde merito causatur hæc prælatio, potior, *l. 2. in fine l. si fideiussor C. Qui potior in pignor.* præsertim adversus personalem actionem, *l. Eos C. eod. tit.* adversus quam potior est etiam qui tempore posteriorē realem ex pignore expresso vel tacito actionem consequutus est; cuius generis actio est illa

illa, quam ex causa iudicati Oliverius prætexit.
 9. Nam ex sententia iudicis, victori adicitur non realis, sed personalis in factum actio, *DD. in l. 1. de reb. cred. Rescript. in ord. iudic. Rub. de act. in fact. ex re iud. in princ.* etiam si actio originalis, super qua sententia lata est, sit realis, *l. Qui resistere De reivindicat. quæ sententia per se non trahit secum executionem, nisi cum illa petitur: ideo quæ in iudicati actione non semper habetur ratio eius, cui Reus prior obligatus condemnatus est, l. In iudica. in re indicata; nisi quoque post iudicatum, bona ipsi aliter obligentur, saltem ex prætorio vel iudiciali pignore; victore misso in possessionem bonorum debitoris, l. 2. de priv. sibi, l. Non est nunc in fine c. De pig. actione.* Cum igitur actio, quæ Oliverius nititur, mere personalis sit, non potest ullo modo præferri reali actioni Domini Abbatis; at nec eum illo concurrere, propter temporis prioritatem, etiam si ex dicta sententia jus aliquod reale ei competisset; præsertim nunc, posteaquam D. Abbas prior executionem fecit & bona distraxit, *Gloss. & DD. in l. Inter eos De re iudic. Atque ita omnibus exacte discussis, manifestum est, partes Venerabilis Domini Iudicis esse, ut præfatum Reverendum Dominum Abbatem, omnibus concurrentibus ad hanc pecuniam creditoribus, præferat, & contrarium contententes in expensis litis condemnent.*

De Pignorib. & Hypoth.

SYMMARIUM.

Potior in pignore.

1. Reditus ex fundo, pro causa relicta hypothecam fundi habet.
2. Condicio adiecta executioni non facit legatum conditionale.
3. Hypotheca quando contrahatur ex legato conditionali.
4. Hæres pro legato conditionali satisfacere tenetur, non etiam debitor pro contractu conditionali.

CONSILIVM CCCLI.

EXIMVS quondam Dominus & Magister Ioannes Bryart Athenis, Sacre Theologie in Vniversitate Lovanienſi Professor, in anno 1520. per suum testamentum fundavit in Collegio Theologorum perpetuam burſam, pro uno ſtudente in Sacra Theologia, præſcriptis legibus & conditionibus, quibus huiusmodi burſa obtineri & haberi debeat; pro cuius intertentione legavit dicto Collegio redditum triginta florenorum Rheoſenſium; domum ſuam, quam tunc inhabitabat, ejuſdemque inhabitatores ſeu poſſeſſores ad exſolutionem dictorum triginta florenorum obligando & hypothecando. Ita tamen quod talis burſa primùm inciperet habere curſum, vel à die mortis Antonij Bryart ſui fratris, Eliſabethæ Bryarts ſuæ ſororis, & Magiſtri Ioannis de Lens dictæ ſuæ ſororis filij; quibus in ſuperiore parte dicti teſtamenti dictam domum legaverat, cum prohibitione alienationis ejuſdem intra viginti annos à die mortis ſuæ; vel ex die alienationis ejuſdem domus: ita quod primus terminus ſolutionis dicti redditus cederet in proximo Feſto Nativitatis Chriſti, vel

Conſ. Wamel. Tom II.

Ioannis poſt diem venditionis ſeu alienationis, vel poſt obitum ultimi ex dictis fratre, ſorore & Magiſtro Ioanne. Poſt mortem horum trium legatariorum oritur quæſtio inter dictum Collegium, & alios creditores, quibus ſuper eadem prædicta domo poſt mortem teſtatoris, ante mortem dictorum trium legatariorum, reditus quidam etiam ſub hypotheca assignati ſunt, ſuper prioritate & potioritate dictæ hypothecæ. Creditoribus contententibus ſe eſſe in hypotheca priores, Collegium verò poſterius, propterea quod curſus dicti redditus per teſtatorem ſic reſectus in tempus vel alienationis, vel mortis dictorum trium legatariorum.

Quæritur, an rectè contentant? Et non rectè contendere, ſed dictum Collegium in hoc iure hypothecæ, & tempore, & iure eſſe prius ac potius, nobis omnino videtur. Quod paucis rationibus demonſtratur. 1. Et imprimis quidem, quod extra omnem dubitationem ſit, non minus teſtamento ſeu ultimâ voluntate, quam partium conventionione pignus ſeu hypotheca conſtitui, *l. Non eſt mirum D. De pignor. actione, præſertim pro legatis alimentorum, l. Lucio De aliment. legat. cum etiam nulla pro legato per teſtatorem ſpeciali conſtituta hypothecâ, omnia teſtatoris bona pro legato præſtatione iure taciti pignoris vel hypothecæ cenſeantur obligata, l. 1. C. Communis delegat. Et cum ex aliquo ſeu ſuper aliquo fundo alicui aliquid legatur in piam cauſam, nulla mentione factâ alicuius hypothecæ, cenſetur hypotheca nihilominus contracta & conſtituta in ſeu ſuper dicto fundo: Ita ut de ſubſtantia & validitate tam dicti legati, quam huius hypothecæ manifeſtè conſtet, *Gloſſ. 2. in d. l. Lucio verſ. ſed quid ſi reſtat or, Guido papa deſiſ. 376.* Quod quidem legatum ab initio ſemper fuit purum & præſens, à nulla conditione, die vel futuro eventu ſuſpenſum, tam quoad fundationem iplius burſæ, quam quoad relictum redditum triginta florenorum pro illius intertentione. Id enim important hæc præſentis temporis verba: *fundavit & per præſentes fundat in Collegio unam burſam perpetuam.* Item hæc, *Dedit, legavit & reliquit, datq; & reliquit dicto Collegio triginta florenos annuos hereditarij redditus.* Ita ut cum omnia purè relicta legata, ſtatim à morte teſtatoris rectâ viâ tranſeant in jus & dominiũ legatarij, *l. à Titio De ſurtu, l. legatum ita De legat. 2. dubium non ſit, quin ex die mortis dicti teſtatoris huius legati dies utiliter ceſſerit dicto Collegio, & ex illo quoque die jus hypothecæ per teſtatorem huic legato adiectum tranſierit in idem hoc Collegium.**

Quam puram & præſentem utriuſque irrevocabilem acquisitionem non impedit nec remoratur aut velut à conditione aliqua ſuſpenderit, quod teſtator curſum huius redditus reſecerit & ſuſpenderit in tempus vel alienationis dictæ domus, vel mortis poſtremi dictorum legatariorum: nam cum ſeparatâ oratione legatum prius ſit purè relictum, & poſtea adiectum tempus curſus ſeu ſolutionis ejuſdem, ex temporis quamvis incerti adiectione, legatum ſemel purè datū non efficitur conditionale: quia adiectio hæc reſpicit executionem, non ſubſtantiam legati, *elegant text in l. Ex hu C. Quando dies legati vel ſideicom. cedat, Angel. conſil. 120. Domina Antonia poſt*

K

primæ.